

Thomas Lindemann Gerhard Kappe


Disputatio De Legitima Et Necessaria Defensione

Rostochii: Typis Myliandrinis, 1611


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756354064>


Druck Freier  Zugang





V. K. 2 (165.)





3.

Disputatio
DE
LEGITIMA
ET NECESSARIA
DEFENSIONE.

Quam

D. O. M. A.

*Permissu & auctoritate, amplissimi ordinis Juridici
in inchyta Rosarum Academia,*

PRÆSIDE

Clarissimo Consultissimoquè Viro,

Dn. THOMA LINDEMAN-

*NO, J. V. D. & Professore Juris Ordinario,
Præptore maximè colendo*

publicè discutiendam proponit


GERHARDVS CAPP

Lippia—Westph.

Habebitur disputatio in auditorio magno
initio hora 6. matutina factò
die Aprilis.

ROSTOCHII Typis Myliandrinis Anno 1611.

*Vivunt juvenum doctissimi etc.
Johann Braun Johan an*





DE NECESSARIA DEFENSIONE.

THESIS I.



Acturis Deo optimo maximo a-
nuente, de defensione necessaria,
adversus vim injustam, quæ non
temporalia, & caduca bona, sed
vitam ipsam, quæ orbis universus
nil habet jucundius, concernit,
primò quid defensio sit dispicien-
dum est.

I I.

Est autem ea nihil aliud, quam jam imminentis vel
illatæ vis, ac injuriæ cum moderamine inculpatae tutelæ
facta propulsatio, l. 3. ff. de just. & jur. l. 45. §. qui cum
aliter 4. ff. ad L. Aquil.

I I I.

Hic initio confestim in disquisitionem venit cuinam
juri adversus vim injustam defensio adscribenda sit? Qui-
dam eam juri naturæ acceptam ferunt; Quidam cum J. C.
Florentin, in d. l. 3. ff. de just. & jur. juri gentium assignant.
Nos eam & juris naturæ, & juris gentium, & civilis diver-
so respectu esse contendimus.

I V.

Naturali siquidem jure vis repelli potest, utpote cum

id omnibus animantibus inclinationem, libertatem & potentiam, se, vitam, corpusq; tuendi tribuat: nullo namq; alio sine tigridi ferocia & celeritas, tauris & cervis cornua sponte nascentia, apris dentes, imò & minutissimis animalibus sua arma à natura data sunt, quam ut laceßita & in periculum vitæ coniecta, ijs in sui protectionem utantur.

V.

Jure gentium ideò quia id cognationem & societatem quandam inter homines constituit, cui nihil tam contrarium, & inimicum quam vis & injuria, hanc ob causam ratio naturalis non patitur ut homo homini insidias struat, ideoq; si vim injustam nos pati contingat, ratio eadem monet ut cum judicio non temerè, sed quatenus æquitas patitur nos defendamus, & si eo modo vim propulsemus. dicimur cum moderamine inculpatæ tutelæ nos defendisse.

V I.

Civili autem juri non ob adhibendum inculpatæ tutelæ moderamen (illud enim à jure gentium exordium ducere putamus) sed propter approbationem adscribimus: Hoc enim jure, gentium & naturale jus est confirmatum, & moderamenq; inculpatæ tutelæ explicatum.

V I I.

Imò etiam in foro conscientie liberum eum pronunciamus, qui, cum aliter se tueri non potuit, occidit aliquem.

V I I I.

Non solum enim quintum decalogi præceptum præcipit ne alios interficias, sed etiam ut te ipsum adversus vim iniquam tueare, quod si cum potes facere intermittis te ipsum enecare videris.

Accedit

I X.

Accedit quod ubi delictum non est ibi poenæ quoq; locus non sit, ubi autem poena non est metuenda, ibi conscientia quoq; quod mordeat non habet, ubi conscientia, non mordet, ibi Deus quoq; qui malefactorum vindex est rationem non exiget. Qui autem injustum aggressorem occidit, facit id quod jure divino poenam non meretur, Exodi 22.

X.

In definitione dicitur *jam imminentis vis* verba hæc innuunt, non eòusq; defensionem protelandam donec offensio in actum ipsum deducta sit, ideòq; impetum & ictum primum ab invadente invasus expectare necesse non habet, sed sufficit si videat signa actusq; manifestos, qui declarent aggressorem percussurum, Zoanet. in tract. defens. tripart. part. 2. n. 44.

X I.

Ubiq; enim cunctatio periculosa ibi præventio justa est, satius namq; est malo imminenti occurrere, quam injuriâ acceptâ vindictam perquirere.

X II.

Non tamen mortem verbis minitantem, armis invadere vel interficere permissum est, nisi minæ hujusmodi cum periculo vitæ conjunctæ sint.

X III.

Hic & illa quæstio incidit, an invasus, si periculum jam jam cervicibus imminere videat, fuga si ullo modo potest sibi consulere teneatur? Nos fugæ necessitatem nemini imponimus: tum quod conditio injuriam patientis, inferentis melior esse debeat, tum quod metus mortis judicium liberum impediatur. l. humanam §. 1. at eum humana C. de testam.

XIV.

Imò etiam fugà aggressoris animus accenditur & in necem fugientis proclivior ac propensior redditur.

XV.

Fugam quoq; periculum lapsus comitatur, si enim labatur fugiens, quid facturum censes adversarium si cursu fugientem assequatur?

XVI.

Insuper moderamen inculpatæ tutelæ adhibendum dicimus, quia si incogitanter, præcipitanter, quamvis injuriam, etiam levissimam, quis vellet cæde ulcisci non posset necessariam defensionem allegare. l. 45. §. qui cum aliter ff. ad L. Aquil.

XVII.

Est autem moderamen inculpatæ tutelæ, defensio remota ab omni culpa, quæ consistit in propulsatione vis illatæ vel imminētis.

XVIII.

Itaq; ut cum moderamine inculpatæ tutelæ facta defensio dicatur, requiritur ut præcedat offensio, vel offensionis justus timor, ut defensio sit quodammodo proportionata, ut fiat in continenti, durante rixâ & non interveniente actu extraneo, flagranteq; adhuc crimine, deniq; ut fiat non ad vindictam sed ad defensionem.

XIX.

Proportionata quodammodo dicimus, si enim quis manu percutiat, non recte ei armis resistere poteris, nisi is qui pugno te ferit, eum in finem id faciat ut te ictu prosterнат, postea armis invadat, aut ita robore valeat, ut pugno quem vis interficere valeat.

X X.

Sed an etiam ut moderamen adhibitum dicatur armorum

rum

rum exacta paritas requiratur? vario Marte certant interpretes. Veluti si me pugione invadi videam, anne solum pugione, vel an etiam gladio telove è bombardà ejecto repellere possim adversarium? Non requiri hujusmodi paritatem dicimus. Aggressor enim melioris conditionis esset quàm is cui injuria infertur; si proprijs armis abjectis quibus forte fortuna instructus, ea sibi comparare deberet arma, quibus adversarium se invasurum videret.

XXI.

Imò etiam is cui vis infertur plerumq; imparatus est & inopinato terrore ita concutitur, ut quid sibi faciendum sit vix intelligat, quæ igitur esset inhumanitas si invasus ad armorum paritatem obstringeretur.

XXII.

Verfatur autem hæc defensio aut circa personas aut circa res.

XXIII.

Personalem dicimus eam quando quis se vel alios à vi instanti vel illata defendit.

XXIV.

Potest igitur quilibet se adversum injustum aggressorem defendere, nec interest cujus conditionis sexus vel ætatis sit, etiam cum aggressoris internecione, Hoc enim Florent. in d. l. 3. de just. & jur. satis declarat dum utitur verbo QVISQVE. Verbum enim hoc omnes omnino complectitur l. 29. ff. de hered. instit. & satis evidenter. l. 3. C. ad L. Cornel. de ficar. demonstrat.

XXV.

Consequenter puer, adolescens, vir, senex, mulier, studiosus, Doctor, apostolus, & reliqui recte se defendunt.

XXVI.

Ne hanc defensionem ei denegamus, qui in sacris ordinibus

dinibus constitutus est, & propterea si se presbyter, canonicus aut quilibet similis conditionis alius cum moderamine inculpatæ tutelæ defendit, nullam irregularitatem incurrit.

XXVII.

Quomodo enim is in regulas humanas potuit impingere qui secundum naturæ regulam improbo aggressori se opposuit.

XXVIII.

Hinc etiam consequitur non posse aliquem contra illos se defendere, qui vim & injuriam non inferunt, quia ut defensio locum habeat offensio præcedat oportet.

XXIX.

Unde adversus eas personas defensio licita non est, quibus offensio concessa est.

XXX.

Hujusmodi offensiones sunt quæ à parentibus præceptoribus, Dominis, Magistratibus, magistratuumq; ministris, alijsq; fiunt.

XXXI.

Paterna vero castigatio modica & moderata esse, nequè in atrocitate sed pietate consistere debet. l. Divus Hadrian. ff. ad L. Pomp. de parric.

XXXII.

Nec discipuli suis præceptoribus resistere ac repugnare debent, si leviter eos castigent, quia eis nullam vim nullamq; injuriam inferunt, si jure suo utantur, modica enim castigatio docenti concessa; l. 5. in fin. ff. ad L. Aquil.

XXXIII.

Nequè servi dominis suis castigantibus resistere possunt quia domini servis suis injuriam non faciunt. l. 7. §. præterea ff. de injur.

Neq;

XXXIV.

Neq; subditi jus resistendi habent magistratui suo, si quidem magistratus subditis loco parentis est. Novel. 8. cap. 8.

XXXV.

Magistratum quoq; ministris, ex officio iussa eorum exequentibus, non sine injuria resistitur: si enim qui fontes magistratus decreto pronuntiati sunt, se se ministris opponant, graviter in magistratum delinquent.

XXXVI.

Si tamen genus hoc hominum, officio suo non probe fungatur, sed dolo malo & ex merâ lasciviâ fontibus vim inferat, ejusmodi facta pretextu demandati officij excusari nequeunt.

XXXVII.

Hic quæritur si alicujus criminis reus è manibus apparitorum evadat, seq; in pedes conjiciat, anne tum liceat his impune fugientem reum, globulo è bombardâ ejecto transfigere? Negabimus.

XXXVIII.

Verum hæc ita obtinent si prædicti intra concellos, sibi in castigando vel offendendo præscriptos se contineant, eosq; non transiliant, an autem si hos egrediantur, etiam tum liceat ei cui vis inferatur, moderamine adhibito adversus prædictos se defendere non est idem omnium amus.

XXXIX.

Primo igitur quæritur, si parens modum in castigando excedat, filioq; vim inferat, anne filius parenti vim inferenti, resistere illatamq; vim propulsare possit?

XL.

Casus sit, parens vi percutiendo filium eo rem de-

B

duxit

duxit ut aut filio pereundum, aut pater interficiendus, quæritur an hoc casu filius justè vim vi repellere, & parentem interficere possit? Nos extremum justæ defensionis remedium ei non esse denegandum censemus.

XLI.

Multo magis præceptori resistere poterit discipulus si modum in castigando excedat, cumq; in præsens vitæ discrimen deducat.

XLII.

Præceptoris enim nimia sævitia culpæ annumeratur l. 6 ff ad L. Aquil. suæ igitur sævitiae imputare debet, quod ei ad justam defensionem ansam præbuerit, quem alias modice castigando in officio retinere potuisset.

XLIII.

Si contingat ut aliquis in magistratu constitutus puta Rex vel Dux, contra officium suum, subditum aliquem famæ invidia obscurum cujusq; vita parum utilitati publicæ profuit, aggrediatur animo occidendi, an permittatur subdito adhibito tutelæ inculpatæ modamine regem occidere? num vero' subditus mortem ex charitate perferre, regi q; cum possit non resistendo vitam perdere teneatur? In hac posteriori sententia est Dom. Sot. Verum lege non distinguente non etiam nobis distinguere conveniet; illæ autem leges quæ defensionem adversum injustum aggressorem concedunt, principem regem vel ducem non eximunt.

XLIV.

Hic sese commoda offert quæstio, an si dominus famulum suum (de servis non loquimur sed de nostri sæculi hominibus, quibus servorum loco utimur) immoderate castiget, planeq; in emendando modum excedat, adeò ut vitæ periculum famulo immineat, an liceat ei do-
minum

minum absq; ullius poenæ metu interimere? Affirmamus.

XLV.

Sed cum adversus eos defensio non sit licita qui vim & injuriam non inferunt, quæritur an adversus furiosum nos defendere possimus? cum is injuriam inferre non dicatur. Hoc non attento defensionem contra furiosi vim omnino licitam esse dicimus.

XLVI.

Personæ propriæ defensio aut versatur circa vitæ naturalis, aut circa civilis defensionem, ut est famæ, existimationis, honoris & pudicitiae.

XLVII.

Et quidem famam existimationem & honorem nostrum, defendere nobis licere, adversus lædentem nullus ambigit, verum de modo defendendi nondum sopitum est interpretes dissidium. Anne scilicet pro defensione honoris aliquem è medio tollere liceat? seu num propter injuriam verbalem, illatam ab aliquo permissum sit, ad arma profilire, & injuriantem lucis usura privare? Non licere dicemus, siquidem media ad inventa sunt & rationes monstratæ quibus mediantibus salvus & incolumis tibi tuus honos servari potest.

XLVIII.

Actione namq; injuriarum, si judicis copia haberi potest, injuriantem convenire poteris & vindictam læsi honoris judici committere.

XLIX.

Vel si judicis copia haberi nequit, recriminatione uti & retorquere injuriam, recriminatio enim & retorsio, ut Obrecht in tract. de neces. defens. cap. 2. n. 15. ait in continenti sui defendendi causa adhibita, non admittit ut in-

juriantis injuria radices agat, sed ipsum injuriantem propria effusa injuria contaminat, & ferendus est, qui pudorem suum defendere voluit. l. 25. §. cæterum ff. de procurat.

L.

Lubet præterea indagare, an pudicitiae defensio iisdem juris carceribus claudatur, quibus honoris circumscribitur defensio: ut si quis insidias struat pudicitiae virginis alicujus honeste viventis, eiq; vim inferat, an virgini pro defensione pudicitiae insidiantem necare liceat? num vero vim perferre vulnerataq; causa remedium quærere cogatur? illud ut justius & juri convenientius probamus.

L I.

Virginitas enim & vita semel amissæ recuperari nequeunt, adeoq; ut Divus Hieron. in c. si Paulus 32. quaest. 5. ait, cum omnia possit Deus, virginem tamen post ruinam resuscitare nequeat, & Ovid. ait:

Nulla reparabilis arte,

Læsa pudicitia deperit illa semel.

L II.

Unde Divus Hadrianus, cum qui stuprum sibi & suis inferentem occidit dimittendum esse, rescripsit; & ideo hoc maximè, quoniam copia judicis haberi, & injuria illata, per magistratum ita vindicari nequit, ut læsa persona per publicam vindictam pro non læsa habeatur.

L III.

Cum vero post virginitatem ablatam, facultas se defendendi intercepta sit, ideoq; violentum stupratorem interimere post facinus patratum non licet: Singulis enim, tum concedenda non est vindicta cujus executio magistratui demandata est. l. non est singulis ff. de R. I.

Sed

LIV.

Sed quid de his dicendum qui ex pacto & mutua voluntate, ea mente & intentione, ut alter alterum lucis usura privet, in duellum ruitant, anne qui se sanguine antagonistæ polluit necessariam defensionem prætere, & ab homicidij crimine absolvi possit? Inficiamur hoc.

L V.

Provocationes enim hæc, & hæc duella ad divinam clementiam tentandam vergunt, & in ijs non plerumq; justior sed robustior & in armis exercitior vincit, sicq; multos sub justo etiam clypeo perire contingit.

LVI.

Accedit quod moderamen inculpatæ tutelæ, defensionem non offensionem, propulsationem non vindictam requirit, hæc autem duella non propulsationis sed vindictæ & offensionis gratiâ instituuntur.

LVII.

Deniq; omni jure, divino, civili, & canonico monomachia & duella hujusmodi prohibita sunt.

LVIII.

Personalem defensionem duplicem in definitione proposuimus, aut enim agi de propria, aut de alienæ personæ defensione diximus; De propria personæ defensione, ha-

LIX.

Nunc de alienarum personarum defensione paucis agemus. Subdividimus autem eam, in necessariorum & extraneorum personarum defensionem.

L X.

Necessariæ personæ sunt, quæ alicui sanguinis vel affinitatis vinculo junctæ sunt, ut sunt parentes, filij, conjuges, affines, &c. Has enim personas sanguinis ratio ad mutuam defensionem obstringit.

B 3

Ideò

LXI.

Ideò patrem, filium, aliamve conjunctam personam, in vitæ periculo constitutam, defendendo aggressorem, occidens nullius criminis vel poenæ reus est.

LXII.

Quin inò etiam extraneæ personæ in periculum vitæ conjectæ, succurrere eamq; ab aggressoris, & insultantis insidijs defendere, non modò permissum sed & honestum ac æquum est.

LXIII.

His omiſſis de reali defensione paucis agemus. Est igitur realis defensio, quando quis à rebus, & bonis suis vim injustam propellit.

LXIV.

Hæc autem rerum defensionem, aut est conjunctum vitæ discrimen, aut non est conjunctum. Priori casu omnium calculo, licitum est impunè hominem interimere, quia non tam de rerum quam de proprij corporis defensione agitur.

LXV.

Sed de eo disceptant interpretes, an propter simplicem rerum defensionem hominem interimere licitum sit? Veluti si quis vim inferat rebus meis quem repellere valeam, absq; vitæ periculo, an invasorem occidere & moderamen inculpatæ tutelæ allegare possim? Negativæ sententiæ subscribimus

LXVI.

Non enim eadem ratio militat in defensione bonorum, quæ in defensione corporis, nisi enim hoc è vestigio defendatur, actum est de homine, secus est in bonis, quæ variante fortuna nunc hujus nunc illius sunt, hæc si auferantur repeti possunt, vita semel amissa repeti & ordinaria via recuperari nequit.

Et

LXVII.

Et hæc de rerum & personarum defensione dicta sufficiant, nunc porro quærerere placet, qua poena potissimum is qui justo dolore motus, & provocatus justum dolorem non temperando, limites moderaminis inculpatæ tutelæ egressus est, num ordinaria legis Corneliæ poena an vero extra ordinaria coërcendus sit? Nos extraordinaria puniendum censemus. Ut enim ordinaria legis Corneliæ poena quis coërceatur, requiritur dolus & animus interficiendi l. i. §. Divus Hadrian. ff. ad L. Cornel. de siccar. Atqui in eo qui provocatus justum dolorem non refrinat, occiditq, adversarium, consilium & animus delinquendi non adest, Unde consequitur eum ordinaria legis Corneliæ poena afficiendum non esse.


LXVIII.


Idem etiam de eo statuimus, qui quidem se occidisse aliquem sed ad sui defensionem fatetur, qui licet in probatione innocentiaë sufficienti deficiat, si tamen præsumptiones aliquas pro se militantes habeat, ab ordinaria legis Corneliæ poena excusatur.

LXIX.


Coronidis loco & disputationem claudat quæstio, an is qui Oestro amoris percitus, & impatientia ductus, corrivalem suum occiderit, ordinaria legis Corneliæ poena, an vero extraordinaria afficiendus sit? Amor effrenis licet insaniam inducere dicatur, ea tamen quia voluntaria est, sanguinem humanum effundentem, excusare non valet.

















VVLGO DIATO die Klapper-Jagd. 433

§. XI.
Quodsi igitur in iudicio petitorio (a) super ipso ita
di iure controuersia mouetur, is, cui solum inferi-
a minor, aut media, venatio data est, a nostro ve-
modo se abstinere debet in locis, vbi ferae maio-
bentur. Is autem, qui duntaxat superiori, siue ma-
audet venatione, tali, vice versa, vti nequit in lo-
i ferae minores, aut mediae, subsistunt. Ratio as-
uius in promptu est, qui alterius ferae per eiusmo-
ationem disturbantur, et in aliena loca extra ban-
erinum transfugiunt (b). Non debet autem alteri
per

orum numerus praeter necessitatem non sit augendus, si-
lem id quoque non facile permittitur, vt, praedio, cui
venandi cohaeret, inter plures possessores diuiso, in lo-
vnius iaculatoris, qui ante factam diuisionem fuit, postea
es substituuntur. Vid. Mandata Regis Prussiae d. 9. Maj.
4. d. 10. April. 1709. d. 8. Mart. 1712.

Actiones, quibus partes litigantes in iudicio petitorio ex-
antur, sunt Confessoria et Negatoria vtilis.

Audiamus ante, quam vltius progredimur, ipsosmet ve-
res, quibus potissimum in sua arte credendum est. Huc
me faciunt tria luculenta testimonia, quae sequentibus
s concepta sunt:

Steuer der Wahrheit attestire ich Endes, Unterschriebener
l. Schwarzburgischer Ober-Förster hiermit auf Begehren,
das so genannte Klappern oder Klapper-Jagen, wenn
nehm.

E